



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 6. Lingua Gallorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

pernis petafones *des Eſchinées*, & Tomacinx, ſeu Tomacla, *des ſaulſſes*.

3. Multum aris ex variis fodinis. *Cæſar*.
4. Canes optimi, *Ouidius*, *Oppianus*, *Gratius*.
5. Equæ famâ celebratæ; *Trebellius in Claudio*.
6. Lana *Varroni*, licet eam paulo aſperioſiorem dicat *Strabo*.
7. Nardus ad conficiendam theriacam, *Galenus*.
8. Vaccinia purpura ad tingendas ſeruorum veſtes; *Plinius*.

#### §. 6. Lingua Gallorum.

DE eâ quadruplex opinio. *Prima*, fuiſſe Celtis, Belgis & Aquitanis proprias, quia moribus & linguâ diſſidere dicuntur à Cæſare, has ergo putant aliqui euaniſſe. Sed diſta Cæſaris explicanda de variis dialectis indicat *Sidonius*, qui vnus linguæ Gallorum meminit quam Celticam vocat: itémque *Strabo* ſub initium 4. qui præter Aquitanos οὐ ὁμογλώτῃσι ἀλλὰ μικρὸν παρελάτῃοντας ταῖς γλώτῃσι. Sed quænam illa?

*Secunda*, eſt Glareani qui Germanicam Ciszhenanam putat, vt Helueticam, aut Treuirenſem, quia S. Hieronymus ait linguam Galatarum Aſiaticorum eſſe ſimilem ei quâ loquebantur Treuiri ſuo tempore. Falfum planè, quia *Tacitus* de moribus Germanorum colligit Gothinos in Germania non fuiſſe origine Germanos, quia Gallicâ linguâ utebantur.

*Tertia*, Græcè locutos eſſe putat, quia in Helueticorum caſtris libros reperit Cæſar, in quibus nomina militum continebantur ſcripta Græcè: confirmatur, quia tempore *Strabonis* instrumenta publica Græcè ſcribebantur. Falfum item: cur enim ad Cæſarem Q. Cicero obſeſſus Græcè reſcripſiſſet ne litteræ interciperentur?

*Quarta* denique ait eandem fuiſſe cum Britannicâ, vt libro tertio manifeſtè probauimus.

#### §. 7. Religio Gallorum.

IMPERITE, aut malitioſè *Tullius* omnem Gallis religionem ademit, ſi quidem *Liuius* eis perinſenſus non negligètes Religionis dixit. De illâ tria conſiderabimus, Deos, ſacerdotes, ſacra.